Psalmus responsorius

Ps 127, 1-2. 3. 4-5 (℟.: cf. 1)

℟. Beáti omnes qui timent Dóminum,
qui ámbulant in viis eius.

1 Beátus omnis, qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
et vídeas bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ. ℟.